



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Exempla Præcepta Dei observantium rationalium, & irrationalium, creaturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Deus magnis Sanctis, & amicis suis, subiecit summos inimicos, id est, demones. Luc. 10. 19. *Eccē dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes &c.* Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & Aliis.

Non in solo pane vivit homo. Matth. 4. 4. Auth. Imp. hic: non in usu rerum solo vivit homo perfecte; & si vivit, secundum corpus vivit, non secundum animam. Plenissime autem vivit observatione mandatorum Dei, Sylveira hic.

Venit Bethaniam &c. Joan. 12. 1. Per hoc significatur, quod ubi est obedientia vel obediens anima, est JESUS ibi, & gratia. Item per hoc, quod Christus prius venit in Bethaniam, antequam iret in Jerusalem, significatur: quod via coelorum est custodia mandatorum. Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hugo Card. hic.

Dei praecepta, quia simplicia, & vera sunt; quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem, reddam. Da capidum, da avarum tenacem: jam tibi eam liberalem dabo; & pecuniam suam plenis manibus largientem &c. Lactantius l. 3. div. instit.

Praeceptum Domini est revera fons vitae; facit declinare à laqueo mortis. Clem. Alex. Strom. l. 2.

Visus Theologus aliquando, divinitatisque dignus fieri? mandata servato, per praeceptiones ambulato. S. Gregor. Naz. orat. de recta doctrina sententia.

Gloria Christianorum Dei praeceptum est; gloria Christianorum, Apostolorum, & Prophetarum, doctrina. S. Ephrem, de amore pauperum.

Salvatorem osculari, est illi obedire, mandata ejus servare; voluntatem ejus exequi. S. Franciscus Sales. in Philothea p. 4. c. 13.

Sicut castrum custodientes se custodit; ita mandatum Dei servat servantes se. Geminiani l. 9. similis. c. 46.

§. VI.

Praeceptorum Dei violatio est noxia.

Nunc igitur maledictus eris super terram: cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos. Genes. 4. 11. 12. Viden ut oppressione innocentis araturum hebetatum? neque enim siderum observatio, sed praeceptorum custodia, ferendis novalibus est opportuna. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate filiae Sion.

Si volueritis gentium harum, quae inter vos habitant, erroribus adhaerere, jam nunc scitote &c. Jos. 23. 12. 13. Quae homo contra legem, ut vitæ exambit subsidia, esse solent certissima detrimenta. Stupidus est, qui ab igne exigit glaciem, qui à nive ardorem. Nec minus stultus, qui à vicio mutuatur commodum, & à virtute putat salutis oriri dispensum. Hanc veritatem docet Josue; dum,

quæ incommoda ab illicitis conjugiiis, ab improborum consortiis, emergent, populo pandit. Naxera in Jos. 23. §. 26.

Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis. 1. Reg. 12. 21. S. Gregor. l. 2. in 1. Reg. qua in re caute notandum est; quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare prohibentur. Post bona temporalia declinare, est in eorum oppositum defluere, amorem illorum divino amoris præferre. Merito ergo his vana non proderunt: quia eò ordine, quò condita sunt, habere noluerunt.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Pl. 10. 6.

Posuit flumina in desertum - terram fructi feram in saluginem, à malitia inhabitantium in ea. Pl. 106. 33. 34. Miraris, aruisse latices, campisque lapidescere? scito, non severiorem naturam esse; sed eam nostris nos sceleribus ex matre novream convertisse. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate &c.

Deum time, & mandata illius observa: hoc est enim omnis homo. Ecclæ. 12. 13. Ac si perspicue dicat: qui non studuerit cavere prohibita, qui neglexerit implere praecepta, quia ratione caret; vocabulum quidem hominis habet, sed hominis esse non habet: quia non veraciter utitur virtute nominis, quò censetur. Ille nimirum veraciter sed credat hominem, qui hominum recognoscit autorem. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 17. ad Alexandrum II. Pont. Rom. Qui non timet Deum, & mandata ejus non custodit; non est homo. Quid ergo est? Bestia est. Salomus Ep. Explicat. in Ecclesiasten.

Dormimus in confusione nostra - quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, & non audivimus vocem Domini Dei nostri. Jer. 3. 25.

Deum colere dicimus nos, & diabolo obtemperamus. Et post hæc volumus, ut bona à Deo accipiamus; cum mala semper malis addamus: fieri voluntatem nostram à Deo cupimus, cum Deo nos facere nolumus: quasi nos superiores Deo essemus, agimus. Salvianus de Provid. l. 5.

§. VII.

Exempla praecepta Dei observantium rationalium, & irrationalium creaturarum.

Congregentur aqua, Gen. 1. 9. dictum est, & congregata est; Et frequenter dicitur, *congregetur populus,* & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere; & homines non obedire. S. Ambros. l. 3. hex. c. 1.

Ubi est victima holocausti, Gen. 22. 7. Mandatum acceperat de faciando filio: verum ne uxori quidem de hac re quippiam dixit, neque cum ea rem communicavit; valde utiliter agens: neque enim tutum, neque utile, sibi esse putavit, sceminam in consilium adhibere. Nihil tale recensuit ipsi, ut in nullo impediret opus, quod præ manibus habebat. S. Ephrem in Abrah. & Isaac.

Praeceptum posuit &c. Psal. 148. 6. Praeceptum soli posuit. Ecce per tantos annos praeceptum

ceptum Domini nunquam præterit. Lunæ præceptum posuit, ut per triginta dies crescat atque decreseat: nunquid cursus suos aliquando mutat? In cælo præceptum Dei servatur; & in terra non servatur. Mari præceptum posuit, ut littora sua non egrediatur; & præceptum DEI meminit. Totus Mundus DEO servit, & præceptum ejus meminit; & homo solus non meminit. S. Hieron. hic.

Ignis, grando, nix, glacies quæ faciunt verbum ejus. Pl. 148. 8. Ergo voluntas Domini ancillantes sibi procellas spectat! & quam glacies, & grandines reverentur, dum ruunt; homo spernit, & stat? Porro cum audis, quod Spiritus procellarum, etiam dum sæviunt, parent Deo; noli quancumque savitiem damnare. Licet furere, & ferocire; licet & sævire. O. liva l. 4. Strom. §. Ignis grando &c.

Vas castrorum in excessis &c. Eccl. 34. 9. q. d. stellæ sunt quasi vasa, id est, arma bellica Dei: non deficient in vigiliis suis, v. 11. quia quasi milites, & vigiles Dei, perpetuò excubant ad omnem ejus nutum. Cornelius hic.

Imperavit ventis, & mari. Matth. 8. 26. Jubeat mari, & non contemnit: dicit ventis, & tempestatibus; & mox compescuntur: jubet & omni creaturæ; & non supergreditur jussionem ejus. Et unum hominum genus; & unum, quod secundum similitudinem Dei honoratum est; cui verbum, & prudentia data est; hi soli homines resistunt; hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoq; & hi in judicio damnabuntur, & à justitia punientur, velut deteriores mutis animalibus. Origenes hom. 6. in diversos. Imperat ventis, & mari: imperat homini, & inobediens est. 3. Reg. 13. 3. venit vir Dei, & ait altari: ecce altare scindetur; & effundetur cinis, qui est in eo. Obedit altare. Loquitur ad serobeam, & non audit. Imperat Deus igni Babylico; non comburas tres pueros; non combussit. Præcepit leonibus famelicis, nè tangerent Danielelem. Dixit Jordani, recede; similiter mari. Hanc hominis inobedientiam offendit Deus in creatione: cæteras creaturas unò verbò fiat, condidit; in creatione hominis, faciamus, quasi viribus, & lacertis, id faciurus. Osorius D. 4. Epiph.

Nè fortè fremitus, & cursus aquarum, cum dispendio possessoris humani, alienum occuparet elementum; fines littoribus inclusit. Quò cum fremens fluctus, & ex alto sinu spumans unda venisset; rursus in se rediret, nec terminos concessos excederet; servans jura præscripta: ut divinas leges tantò magis homo custodiret, quantò illas etiam elementa servassent. Tertull. l. de Trinit. c. 1.

Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere; & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est Authore. S. Ambros. l. 3. hexam. c. 1.

Infirmisimò omnium vilis sabuli pulvere vis maris in tempestate cohibetur; & velut habens quibuscumq; celestis imperii à præscripto sibi sine revocatur, violentique æquoris mo-

Polyanth. Sac. Tom. II.

tus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. Id. l. 3. hex. c. 2.

Mirum est, quomodo res omnium, quæ in terris habentur, infirmior arena jussu Dei violentiam maris franat? S. Basiliius Cæs. l. 4. hex.

Omnes res creatæ Dei mandato parent: homo autem illi, per quem facta sunt, non obtemperat. S. Nilus Instit. ad Monachos.

Mare, quod tantò commotionis suæ vertice fertur, & elevatur ad nubes, frangant tenues arena: ut videamus, potestatem non pulveri cedere, sed præcepto. S. Chrysost. f. 101.

Confidera universam hanc cœlestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare divinis; nec unquam sibi positas in tam continuis motibus, metas excedere; temporum, aut locorum, terminos transgredi constitutos. S. Bernardus f. in festo S. Martini.

§. VIII.

Præcepta Dei quàm parum, & pauci, servant.

Num. 1.

*O*lim serpens per mulierem venenum effudit in virum, & ipsum seduxit. Gen. 3. 6. Veniens Dominus in Mundum omnia restaurans, ut virum reformaret ad vitam, per mulierem vult trahere. Sed hic nota: quòd, ut mulier alliceret virum ad peccatum, absque alicujus mandato ipsa ut comedit, deditque viro. Gen. 3. 6.

At ut Samaritana maritum ad salutem pertrahat, ei mandatur à Domino: *voca virum tuum.* Eva dabat pomum ad mortem, Samaritana invitabat ad vitam: nam ad malum nos proni sponte nostra; ad salutem mandatò compelli opus habemus. Sylveira in Joan. 4.

Qui percusserit &c. Jos. 15. 16. Quid tunc? cepit eam Orthoniel. v. 17. Dum puella offertur in præmium, quisque aggredi molitur periculum; licet Ducis urgeret præceptum, varias excusationes prætenderent, causarentur duram præceptionem, Naxera in Jos. 15. §. 21.

Saul pepercit Agag. 1. Reg. 15. 9. Lyrannus hic: cupiditate ductus, sperabat de eo habere magnam redemptionem; vel per eum occulti thesauri revelationem. Divinum mandatum ob aurum contempsit, Sylveira in Matth. 2. c. 4. q. 18.

Num. 2.

Nititur in vetitum.

O si quis mihi daret potum aquæ! 2. Reg. 23. 15. Non constat, David hanc aquam appetuisse, nisi Philisthæo ad eam posito. v. 14. Quò Philisthæus magis aquam negat, eò David magis cupit. Quòd siti David, in fame probat Esau, qui à Jacob pultes petit. Gen. 25. 30. Cunctatur Jacob, & negat; nisi sibi vendat primogenita. Quò Jacob id negando tenacior, eò frater in expetendo importunior: ut mori se credat, nisi fruatur optatis. Velloso in Judith 7. Paran. 17.

Auger prohibitio desiderium operis illiciti; quando

Rrr 2